519 uerbi salutaris. ac miraculorum suorum dulce-
dine cunctos longe lateque pauit. et ipse
audiencium fide ac dilectione pastus est.
quia quotquot ad gratiam ueritatis conuer-
tit. per hos nimirum corporis sui quod est ecclesia.
quasi more uescencium fecit augmentum.
13.4 Surrexit autem a cena. et posuit uestimen-
ta sua. quando temporaliter cum homini-
bus amplius conuersari desistens. mem-
bra corporis assumpti deposuit in cru-
ce. Accepto lintheo precinxit se. quando
accepto a patre mandato paciendi pro
nobis. in ipso passionis exercicio sua
membra circumdedit. Solet namque per
lintheum quod multifario tormentorum
labore conficitur afflictio passionum
figurari. Et dominus ponens uestimen-
ta lintheo precingitur. ut significet se
habitum corporis quem induit non si-
ne pressura dolorum. sed longa crucis tri-
13.5 bulacione deponere. Misit aquam in
peluim. et cepit lauare pedes discipulorum
Joann 13.6 et extergere lintheo quo erat precinctus.
quando defunctus in cruce aquam una
cum sanguine de latere suo profudit in ter-
ram quibus credencium opera mundaret. ea-
demque opera non solum passionis sacra-



inuenit. Ille in crucis modum medio limi
ne et superliminari medijs asperso in postu
bus. Et cena inquit facta cum dyabolus
iam misisset in cor ut traderet eum iudas
symonis scariothis. sciens quia omnia de
dit ei pater in manus. et quia a deo exi
uit. et ad deum uadit. surgit a cena. et
ponit uestimenta sua. Locuturus de ma
xima humilitate assumpte humanitatis.
prius commemorat eternitatem diuine
potestatis. ut et ipsum uerum deum homi
nemque demonstraret. et ut nos precepti
illius ammoneat. ut quanto magni sim⁹.
humiliemur in omnib⁹. Homo namque
erat uerus qui hominum pedes tan
gere ac lauare. per hominem tradi. atque ab
hominib⁹ poterat crucifigi. Deus erat
uerus. cui omnia dedit pater in man⁹.
quia a deo exiuit. et ad deum redijt. Sci
ebat ergo dominus quia dyabolus iam miserat
in cor iude ut eum traderet. sciebat
quia omnia dedit ei pater in manus.
inter que omnia et ipsum traditorem et
eos quib⁹ tradendus erat. et mortem quam
erat passurus. ut de hijs omnib⁹ que
uellet faceret. malumque eorum sua po
tencia conuerteret in bonum. Sciebat

